

U.M.  
RUM  
E  
ÉINZIA  
UM



2181 V  
DIVITIARUM  
**EVANGELICARUM**  
FESTIVALIUM

*Disquisitio IX*

PRÆSIDÈ

**CHRISTIANO GUEINZIO**

Gymnasii Hallensis

Rectore

Respondente

**ANDRE A NECKIO**

Querfurtenſi Sax.

*In Festo Annunciationis Mariæ.*

*A. O. R. cl. Ic. III.*

---

**HALLIS SAXONUM.**

*Prelo Hæredum Melchioris*

*Oelschlegely.*

V I R I S  
*Admodum Reverendis, Amplissi-  
mis, Consultissimis, Doctissimis &  
Spectatissimis,*

Dn. ADAMO MEISNERO P. L. Cæs.  
Eccles. Querfurtensis vicinarumque Su-  
perattententi præcellentissimo.

Dn. ANDREÆ HUNOLDO ejusdē Reip.  
JACOBÆ HERLICIO Coss. pru-  
CHRISTIANO Ge- dentissim. &  
nennichen meritissimis.

Dn. JOHANNI BLOCHBERGIO, Scho-  
læ ibidem Rectori fidelissimo.

Dn. CHRISTIANO BERLICHIO Ec-  
clesiæ Querfurt. Archidiacono vigilan-  
tissimo.

Dn. CHRISTOPHORO GRYSELIO  
Diacono ibidem pientissimo.

Dn. CHRISTOPHORO LENGRICHTIO  
Civi Querfurtensium primario, Merca-  
tori felicissimo.

Dnn. Patronis, Mecenatibus & Fau-  
toribus omni honoris & amoris ma-  
gimento atatem suspiciendis  
exercitium hoc D. D. D.  
RESPONDENS.

233

శ్రీ పుష్టి పుష్టి పుష్టి పుష్టి పుష్టి పుష్టి పుష్టి పుష్టి  
పుష్టి పుష్టి పుష్టి పుష్టి పుష్టి పుష్టి పుష్టి పుష్టి పుష్టి  
పుష్టి పుష్టి పుష్టి పుష్టి పుష్టి పుష్టి పుష్టి పుష్టి పుష్టి

ANALYSIS  
EVANGELII  
IN FESTO  
ANNUNCIATIONIS  
MARIÆ  
Luc. i. av. 26. usq; ad 39.  
PRÆFAMEN.

**A**braham Gen. 24, 3.  
filio sponsam quaesiturus, ser-  
vorum ad id delegit pruden-  
tissimum & honoratissimum;  
ita Deus Angelorum preci-  
pium in proxenetam sponsae sponsarū. Quem-  
admodum id pluribus declaratur in Evangelio.

# THESES I.

In quo habetur nuncii ablegatio, ubi  
circumstantiæ denotatio. v. 26. In quo est  
Q partim



290

partim temporis: In mense autem sexto. A tempore nimirum, quo conceptus fuit iohannes Baptista, uti habet Theophyl. in cap. I. Luc. quippe qui Christi fuit prodromus, Eta. 40, 3. Malach. 3, 1. Estq; secundum Patrum sententiam est mensis Martius die 25. quo e<sup>r</sup>idamus erat putatur; ut quo die Adamus primus conditus est ex gleba terrae, eodē secundus Adā ē cælo Christus, I. Cor. 15, 47. conciperetur: dum 70. hebdomade, quas idem Gabriel olim Messia adventu destinaverat, Dan. 9, 24. ad facalem periodum decurrerant. Ita promissio-nes divinae confirmabantur. Ut discamus quicquid Deus in verbo suo vel promittit, vel cre-dendum proponit certò evenire. Unde Augu-stin. serm. 31. de verbis Dom. promissorum suorum Deus nobis chirographum fecit, non debendo, sed promittendo. Fidelis quippe Deus est, Deut. 32, 4. omnes premissiones ejus Amen, 2. Cor. 1, 19. nec est quasi homo ut mentiatur, Num. 23, 19. Neq; mencitur Hebr. 6, 8. Ergò habet Augustin. enarrat. in Psalm. 62. stultus est, qui non vult credere pauca, que restant, cum videat tām multa esse impleta, qua tunc non erant, quando promittebantur.

2. Partim loci, ubi inseritur causa ad-ministra legationis: missus est angelus Ga-briel.

briel. Quo porissimum Deus usus in opere redemtionis, quemadmodum idem Danieli revelavit, Dan. 9, 21. Siquidem, ut ait Gregor. hom. 34 ad hoc ministerium summum Angelum venire dignum fuerat, qui summum omnium annunciat. Qui idcirco privato nomine recensetur, ut per vocabulum, quid in operatione valeat, signetur: Gabriel enim Dei fortitudo nominatur. Per Dei ergo virtutem numeri manifestus erat, qui virtutum Dominus, & potens in prælio ad debellandas potestates acrias. Sic alias manifestant Angeli Christi nativitatem, Luc. 2, 10. indicant ejus fugam, Matth. 2, 13. notam faciunt ad scensionem, Act. 1, 10. Quia quidem Angelorum ad hominum ministerium missio, uti habet Bonaventura, concordat: charitati 1. divina, quæ in hoc manifestatur dum nobilissimos spiritus intimâ fibi charitate conjunctos ad salutem nostram mittit; charitati 2. angelica, dum videntes nos suo auxilio contra Diaboli insulnus indigere, ad ministerium nostrum se offerunt Deo; charitati 3. humana, quæ quia debilis est, indige: foveri, nutriti & excitari.

3. Et causa primaria: à Deo. Ut qui est autor nostra salutis, ut merito exclamare cogamur cum Bernardo, serm. 12. in Psalm. qui

Q. 2 habi-

292

habitat: Domine, quid est homo, quia innoministi ei? aut quid apponis erga eum cor tuum? apponis cor erga eum, geris pro eo solicitudinem, curam illius habes, denique mittis ei unigenitum tuum.

4. Et additur circumstantia loci generalis: in civitatem Galilææ. Inferioris. Significat vero Galilea migrationem. Ut ostenderetur nobis vel migrandum esse ex hac vita, cum Deus migraverit ē cælo, vel migrandum à pristinâ vitâ, hujus revolubilis mundi, ut loquitur Theophyl. qui rotatur & rotat, ut vivamus novam & meliorem vitam.

5. Et specialis: cui nomen erat Nazareth. Quæ nominis quidem splendore, Nathanaële judice, Joh. i, 46. obscura, sius tamen conditione florens: unde & à flore nomen accepit. Hinc Bernhardus super mislus: in Nazareth annunciatur Christus nascitus, quia in flore speratur fructus processurus. Nomen igitur civitatis, in qua concipitur, exprimit statum operis & finem temporis ad quem venit. Cum enim Christus in Nazareth conciperetur jam hyems transierat. Tempus igitur floris advenit, fructus appropinquavit, omnibus se exhibuit, medicinam confecit, sensum refecit, corona peccatoribus venit. Quis sicut flos

flos de flore sine mixtione ; ita de matre salvo  
virginitatis decore processit , habet Albertus  
Magnus cap. 33. Et est flos campi , non horti ,  
quia uti campus sine ullo humano adminicule  
floret non seminatus ab aliquo , nō defossus far-  
culo , non pinguefactus firmo ; sic omnino virgi-  
nis alvus floruit , habet Bernhard. serm. 2. Ad-  
ventus.

6. Et personæ denominatio . v. 27. In  
quo objectum , quod indefinite ponitur ab  
accidente qualitate : ad virginem . Debuit  
enim esse semen mulieris , Gen. 3, 15. Et quidem  
debebat nasci ex virgine , Esa. 7, 14. Illum enim  
solum , ait August. l. de virginit. c. 5. virginitas  
decenter parere potuit , qui in sua nativitate  
parem habere non potuit . Sicut enim , quod  
Tertull. habet lib. de carne Christi cap. 7.  
in virginem adhuc Evam incesserat verbum  
destructorum vitæ , ut quod per ejusmodi se-  
xum abierat in perditionem , per eundem sexū  
redigeretur in salutem .

7. Definitè exponitur per statum com-  
muniter : despontatam viro . Ne ab infide-  
libus tanquam illegitimè natus abjiceretur , ha-  
bet Ambros. super Luc. ne temerata virginis-  
tatis adureretur infamia , cui gravis alvus cor-  
ruptela videretur insigne præferre . Maluit er-

294

go aliquos de suo ortu, quām de matris pudore dubitare. Sciebat enim teneram esse virginis verecundiam & lubricam fumam pudoris; nec putavit ortus sui fidē matris injuria astruendam. Servatur itaque sancta Maria, sicut pudore, integra; ita inviolabilis pudore virginitas. Et viro verè despensata sed virgo, quia est Ecclesiae typus, qua est immaculata sed nupta. Etiam similiter ut virginitas & matrimonium contra hæreticos alteri istorum detrahentes, honoraretur.

8. Specialiter, quoad nomen viri: cui nomen Joseph. Spensione nimirum promissa, nondum verò ab ipso in domum deducta, neque cognita, attestante ipsam et in hoc capite N. 37. Et despensatio, secundum Niceph. lib. 2. c. 3. Histor. Eccles. facta videtur anno etatis Mariae 15. Iosephi verò, iuxta supputationem Sculteri 70, ut ab ipsa exhibetur ipsi ministerium.

9. Quoad stirpem: de domo David. Secundum promissiones Davidi factas, 2. Sam. 7, 12. 1. Paral. 22, 20.

10. Per titulum: & nomen virginis Maria. Quod nomen ab amaritudine originē trahere volunt. Syriacè enim Domina appellatur, ut qua Dominum parere debebat. Non  
acc-

ac casu hoc nomen habuit, sed speciali instinctu,  
ut quae mater omnium sanctorum, dum sanctissimum peperit, que ipsa virgo pura, intacta &  
inviolata.

11. Et habetur rei narratio, cuius exordium est angeli salutatio. v. 28. In quo ab effectu, gestus: & ingressus Angelus ad eam, Cœlestis ille legatus Gabriel ad Mariam. Dum ergo ingressus dicitur Maria domi commorata intelligitur, Hieronym. ep. 7. ad Lætam, illam in cubiculo suo sedisse, & vaticinum, Esa. 7. 14. legisse existimat. Bernhard. hom. 3. sup. missus est, afferit, quod ingressus in secreto subiculo, ubi clauso super se ostio orari patrem in abscondito. Ut discat virgo, uti habet August. de sobr. & virgin. c. 2. devitare primitus publicos conspectus, platearum frequentiam, atq; in domo posita operi lanifico, vel divina letioni insistat, nec oculis erectis aut laetis, sed vulnu demissio procedat, ne in se viles amores inducat, ne pereat, nec aliis pereundi causa existat.

12. Et affatus, cuius forma: dixit ave. Omnibus siquidem gentibus hoc familiare, ut in primo congressu occurrentibus benè precari soleant. Syrus habet pax tibi. Ideoq; directa salutatio ad Mariam, non ad Deum: unde

*Q 4 ora-*

296

oratio esse nequit, cum oratio sit ad Deum locutio, uti ait Augustin. in Psal. 85. Et hanc Iudaicis usitatam salutandi formulam graci fontes in Novo Testamento modo per vocem χαῖρε, Matth. 28, 9. modo per equipollentia verba, Luc. 24, 36. reddunt: ut nihil aliud sit ave, quam vive, etiam secundum originem Punicam, pro quo Daniel, cap. 2, 4. Chesi usurpat. Neq; tamen semper est venerationis indicium vera, cum Ἐ· Judas dixerit ave Rabbi, Matth. 26, 49. & milites ave Rex Iudeorum, Marc. 15, 18.

13. Et causa absoluta, quoad subiectum: gratia plena. Seu beneficio affecta, ut includatur Ἐ· causa efficiens Ἐ· ipsum beneficium, cui mulcet est beneficium exhibitum: quasi dicat, uti habetur in Syriaco, valde Deo grata ex gratia singulari, dum facta ex Deipara, nti Angelus annunciat, Luc. 1, 30. & ipsa faretur v. 49, nempe fuit plena gratia justificationis, de qua Ephes. 1, 6. que communis cum reliquis fidelibus, etiam gratia sanctificationis, dum maiore gradu ornata, non tantum quoad excellentiam prerogativa singularis, sed etiam quoad donorum sanctificantium majorem gradum; utiq; mater Domini. Unde longè aliter dicitur Christus plenus gratiā Joh. 1, 14.

14. Et

297

14. Et quoad votum : Dominus tecum. Quemadmodum accipitur optative ista formula, Jos. 1, 17. 1. Sam. 17. & 20, 13. dum angelus Mariae favorem gratuitum, praesentiam & auxilium Dei optat; etiam indicative 1. Sam. 10, 7. 2. Sam. 7, 3. ita de officio pariendi filium Dei gratulatur. Inde Augustinus: Dominus tecum non tantum per essentiam, potentiam, qualiter est in omnibus rebus, nec solum per gratiam, eo modo est in sanctis hominibus, sed etiam per carnis assumptionem: quod corpus divinitati uniuersum fuit formatum de B. virginis sanguinibus purissimis, & intra viscera virginis latuit 9. mensibus, serm. 18. de temq. & Gregor. Neo Cesar. super missus.

15. Et respectiva: Benedic tu inter mulieres. Qb benedictum semen, Gen. 3, 15. in quo omnes populi benedicendi, Gen. 22, 18. quemadmodum & ipsa se predicit beatam, Luc. 1, 48. Non quod tu benedicta, inquit Bernhard. hom. 3. super missus est, ideo benedictus fructus ventris tui. sed quia iste te prævenit in benedictionibus dulcedinis, ideo tu benedicta. Ut no[n] intelligatur copia donorum, sed privilegium, quod præalico mulieribus, cum quibus comparatur, ex gratia Dei facta sit Dei genitrix.

Q5

16. E&

298

16. Et Mariæ perturbatio. v. 29. In quo causa: illa verò videns. Tum prater opinionem apparsuit in maiestate quadam cœlesti & forma viri, habet Ambros. lib. 2. de virgin. uti solent boni angeli; quia apparent ex divina dispensatione, uti scriptura hinc inde abunde testatur. Sed videntur raro à malis, potissimum à bonis. Ut discamus, quo si velimus etiam bonos angelos videre, simus boni.

17. Et effecta, quoad affectum: turbata est sermone ejus. Non turbatione incredulitatis, sicut Zacharias, sed turbatione admirationis, ait Lyra. Solent enim, habet Bernh. super missus, serm. 6. virgines semper esse pavidæ, & nunquam securæ, scientes se in vasis fidilibus thesaurum portare preciosum; & nimis arduum esse angelicè vivere inter homines & in terris more cœlestium versari. Unde omne novum suspectas reddit insidias. Quod autem turbata est, verecundia fuit virginalis, quod non turbata, fortitudinis. Ut discamus pudicitiam & verecundiam esse decus iuventutis. Unde ait Ambros. lib. 3. de virgin. virginem prius mihi sua gravitas annunciet pudore obvio, gradu sobrio, vulnus modesto, & pronuncia pudicitie antecant signa virtutis.

18. Quoad ratiocinium seu cogitatum:

tum: & ratiocinabatur qualis esset salutatio ista. Mirabatur novam formulam, ait Ambrosius lib. 2. in cap. 1. Luc. benedictionis, quam nunquam est ante comperta. Atq[ue] ita putavit & cogitavit, quod prudentia est & modestia. Unde idem Ambros. clauderunt, ne unguentum effluat. clauderunt virginitatem veracundiam loquendi & abstinentiam gloriandi. Quae enim sermone garrula, loquacitate verbosa, curiositate superflua; judicari, secundum Augustin. lib. de sobr. & virgin. cap. 2. casta non poterit, sed prostituta, & ad luxuriam magis accensa. Vestite ergo vos serico pietatis, habet Tertull. In de cultu fæmin. c. 13. byssino sanctitatis, purpurâ pudicitiae: Taliter pigmentata, Deum amatorem habebitis.

19. Et negotium, ubi narratio: & est angelianunciatio, quoad propositionem, respectu consolationis. v. 30. In quo iterum causa: & ait angelus ei. Non enim tantum appetet, verum etiam docet & informat. Ut discamus bonorum Angelorum indicium & officium, ut etiam in nativitatibus negolio apparuit pastoribus, & insimule eos allocutus.

20. Et materia, per remotionem meatus: ne timeas Maria. Quo eam ad attentio nem excitet, & ad observationem informet.

Ut

300

*Ut discamus pavidos solari, turbatos informare.*

21. Et per rationem: invenisti enim gratiam apud Deum. Non meritis, sed ex gratia, Qui enim, ait Chrysost. apud Deum habet gratiam, non habet quod timeat. Non quia creasti, ut Deus, inquit Albertus Magnus, serm. 3 de annunc. quia servisti, ut angelus, perdidisti, ut Adam, emisti, ut Simon Magus, abscondisti, ut infidelis doctor, sed quia restituisti gratiam increatam, & cum illo omnem creataram, & spiritualem & corporalem. Ut discamus omnia nobis dari gratis: vocamur, 2. Timoth. 1, 9. regeneramur, 1. Pet. 1, 3. justificamur, Rom. 3, 24. salvamur, Tit. 3, 4. gratis. Unde Fulgent. l. 1. ad Monimum: Accepimus gratiam pro gratia, gratiam glorificationis pro gratia justificationis indebita, ut gratia justificationis omne meritum, nullum deleat indebito beneficio. Ideoq; si merita nostra aliquid facerent, ad damnationem nostram venirent, habet Augustinus in Psal. 43. Imò, ait Anshelmus, lib. de mens. crucis, si homo mille annis serviret Deo etiam ferventissimè, non mereretur ex condigno dimidium diem esse in regno cœlorum. Ideoq; invenire gratiam non est gratiam promereri, sed in-

gra-

301

gratia esse, uti Gen. 6, 8. & 18, 3. usurpatur, colligiturq<sub>3</sub> exemplo Abrahams, Rom. 4, 1.

22. Et respectu conceptionis. v. 31. In quo modus respectu subjecti, ubi præmittuntur: & ecce. Tanquam nota attentionis, quæ ostendentis verbum est, util loquitur Chrys. hom. 37. in Matth. Et non tam insolitam ac inauditam rem, quam celeritatem h. l. denotat, insinuans cum hoc ejus verbo celebratam esse conceptionem.

23. Subjicitur subjectum: concipies in utero. In utero dixit, ait Theophyl. sup. h. l. ut ostendat Dominum ex ipsius virginali utero incarnatum substantialiter. Fuit enim in utero Mariæ verè ex massa sanguineā conceptus, in eodem formatus, per 9. menses gestatus, Et tandem in lucem editus, ut verus homo. Unde Et filius Mariæ vocatur, Matth. 1, 16. natus de muliere, Gal. 4, 4. Inde Cyrillus 1. propheticō: Emanuelem ex muliere natum certè credamus, neq<sub>3</sub> illustrem illam summāq<sub>3</sub> admiratione dignam nostræ naturæ gloriam, si certè sapimus, aspernemur. Suscepit namq<sub>3</sub> unigenitus non propriam: hâc enim ratione, nihil dignitatis nostræ accessisset. Et Leo inquit epist. II, ad Julian. Nec quisquam potest in eo capere gloriari, in quo afferit naturam suam non haberi.

24. Et



24. Et effectum consequens : & partes filium. *Filius enim nobis dari Messias debebat, Isa. 9, 6.* Recte ergo vocatur Deipara, Matth. 1, 20. & mater eius, Joh. 2, 2. Atq[ue] ita in ipso Christo Iesu Domino nostro uniuscuiusq[ue] nostra portio, caro & sanguis, ait August. lib. medit. c. 15.

25. Et accidens : & vocabis nomen eius Iesum. Quæ verba sunt mandantis, Luc. 2, 21. Matth. 1, 21. Et Salvatorem significat, ut ipse Angelus interpretatur. Ut discamus solum Christum esse nostrum Salvatorem, quia ob salutem generis nostri venit, ait Theophil.

26. Et declaratio respectu descriptio-  
nis. v. 32. In quo quoad naturam, in genere:  
hic erit magnus. Ut qui verus Deus, & super  
omnes reges maximus, magnus maiestate, ma-  
gnus potentia, magnus gloria, & altissimus su-  
per omnia, Psal. 9, 7. Rom. 9, 5. cuius potentia  
non terminatur, nec excluditur, nec includi-  
tur, habet Origenes hom. 5. in diversis.

27. In specie : & filius Altissimi voca-  
bitur. *Magnus quidem fuit & Iohannes, sed*  
*non ob hoc Altissimi filius.* Theophil. sup. h. l.  
Ille quasi homo magnus, hic quasi Deus ma-  
gnus, habet Ambros. Vocabitur autem filius  
Altissimi, non quod revera non esset, & vel ad-  
opti-

optivus tantum foret, vel titulum duntaxat filii sustineret, sed quia revera filius Dei. Sicut unus; sicut equalis, origine, non adoptione, veritate, non nuncupatione; nativitate, non creatione, ait Hilari. l. 3. de Trinit. Inde Theophyl. vocatur filius Altissimi, quia par erat homo. Nam quia una fuit hypostasis, revera filius Altissimi fuit filius virginis, & fuit quidem ante secula filius Altissimi verbum, sed non vocabatur, neque cognoscetur. Postquam autem incarnatum est, & apparuit in carne, tunc & vocatus est filius Altissimi, quia par erat & miracula faciebat. Si enim revera non esset, nec revera vocari posset.

28. Quoad personam seu officium: & dabit ei Dominus sedem patris ejus. Audiens vero, ait Theophyl. thronum sive sedem Davidis ne putas sensibile quoddam regnum, sed divinum, non corporale, sed spirituale, non temporale, sed cœlestē. Dedit autem ei non secundum divinam, sed humanam naturam regnum David olim & semini ejus promissum, & sedem istam secundum vocationem, habet Ol. 1, 7. Intelligiturque ejus officium regium, consistens in gubernatione Ecclesiae, in justitia, Rom. 5, 1. in gaudio Spiritus S. Rom. 14, 17. in remissione peccatorum, Col. 1, 14. in illuminatione vita, 1. Tim. 4, 10.

29. Et

304

29. Et respectu durationis, v. 33. In quo illud regnum describitur ratione objecti: & regnabit super domum Jacob. Hoc est, inter Israelitas, & per synecdochen inter pios, ubi exercet dominium suum.

30. Et ratione termini positivè: in aeternum. Secundum varicinium, Exod. 15, 10. & in seculum seculi, Psalm. 69. Juravit enim Dominus seruo suo David usq; in seculum, Psal. 89, 4.

31. Et negativè: & regni ejus non erit finis. Christus enim regnabit in aeternum in his terris potenter dominando in medio inimicorum, Psalm. 110, 3. gratiè per ministerium verbi & sacramentorum, & gloriè in futuro seculo, ubi erit Deus omnia in omnibus, I. Cor. 15, 28.

32. Et confirmatio, ubi tūm Mariæ suscitatio, v. 34. In quo causa: Dixit Maria ad Angelum. *Vbi audiit quid Deus de fieri velit. Ut discamus prius auscultare, postmodum interrogare.*

33. Et res ipsa per interrogationem: quomodo fiet istud? Non, ait Theoph. quasi diffidens dixit quomodo erit mihi istud? sed ne prudens & intelligens; ut discat modum, quia ante non legerat, licet legerit futurum.

Non

Non enim quemadmodum fieret vel Propheta tantum fuerat revelatum. Tantum enim mysterium non hominis fuit, sed angeli ore promendum, ait Ambros. super h. l. Neq; enim omne quomodo incredulitatis & temeritatis est indicium, sed etiam docilitatis testimonium. Nec, quod habet Bonaventura h. l. querit modum faciendi, sed ut consentiat.

34. Et per rationem: quoniam virum non cognosco. Iosephum quidem sponsum agnoscebat, nondum tamen in ejus dominum deductum erat, Matth. 1. 18. Inde Nyssenus in nativitate. Dom. audi predicam virginis vocem, angelus partum nunciat: at illa virginitati inheret, & integratorem angelica demonstrationi anteponendam judicat, sed angelo fidem haberet, nec a proposito recedit suo. Usque discamus Christum omnino ex virgine natum, inti prædictum Isa. 7. 14. Virgo enim concepit, virgo grava, virgo in partu, virgo post partum. Praeclara ergo illa virginitas, & gloriosa fœcunditas, ait August. serm. 10. de tempore.

35. Tum angeli informatio, argu-  
mento desumpto partim à causa principali,  
quæ est Spiritus S. obumbratio v. 35. In quo  
antecedens quoad causam: & respondens  
R angelus,

angelus', dixit ei. Ut qui propterea missus erat, quò partim aununciatet, partim informaret. Ut discamus respondere interrogantibus.

36, Quoad formam in genere: Spiritus Sanctus superveniet in te. Notatur causa efficiens vel efformans humanitatem Christi, & est Spirum S. qui dicitur supervenire in Mariam: non quoad actionem communem, quia sic concurrit ad quorumvis generationem, Job. 10, 8. Psalm. 139, §. sed quoad actionem singularem & extraordinariam. Sic Act. 1, 8. eadem phrasis usurpatur, simulq; etiam potentem & repentinam: quia, ut habet Gregor. Spiritu adveniente mox fuit verbum in utero, mox intra uterum verbum caro. Hinc à Spiritu S. dicitur conceptus, non οντερπατικῶς seu materialiter, sed δημιουργικῶς seu efficienter. Unde & monitus Joseph, ne timeret accipere Mariam pro uxore, quia quod in eā ex Spiritu S. Matth. 1, 18. & 20. Ergo Spiritus S. concepit opere, qui fecundum reddens uterum & condens carnem cum consubstantiali verbo, habet Theophyl. massamq; conceptionis superventu suo sanctificavit.

37. Et in specie: virtus Altissimi ob-  
umbra-

umbrabit tibi. Syrus simpliciter vertit: ob-  
teget, sed major est emphasis in obumbrare.  
Nam in V.T. adhibebatur ad notādam singu-  
larem præsentiam iūm gratiosem, Deut. 33, 12.  
iūm majestaticam Exod. ult. v. 33. In N. T.  
metaphorice denotat peculiarem præsentiam,  
protectionem & impletionem. Sicut avis, in-  
quit Theophyl. obumbrat pullos suos; ita &  
divina virtus totam virginem apprehendit.  
Sumitur vero virius Altissimi pro filio Dei per-  
sonaliter, ut qui appellatur virtus Patris.  
I. Corinth. 1, 24. Inde Beda hom. de Annun-  
ciat. Sol, i.e. divinitas Christi tegimine se hu-  
mana naturæ quasi umbraculo quodam obte-  
git; quo mediante virginis cum ferre viscera  
sufficerent. Sicq; virtus Altissimi obumbravit  
ei, dum divina Christi potentia eam præsen-  
tialiter implevit, ut capi posset ab eā, substan-  
tiā se nostra mortalitatis obnubilavit. Et Gre-  
gorius lib. 33 moral. c, 3. quia umbra non ali-  
ter exprimitur nisi per lumen & corpus, virtus  
Altissimi virginem obumbravit, quia in eius  
interior lux incorporeæ corporis sumvit. Ut disca-  
vans splendorem gloriae, Hebr. 1, 3. descendisse  
è throno majestatis, & Mariam in umbrae.  
Simus ergo Christi tabernaculū, sic erit Chri-  
stus nobis umbraculum.

38. Consequens describitur ab effectu ratione qualitatis: ideo quod natum sanctum. Quia Sanctus sanctorum, Dan. 9,24. segregatus à peccatoribus, Hebr. 7, 26. immo & sanctificatio nostra, i. Corinth. 1,30. Ut discamus nos quidem habere peccatum ab Adamo, sed sanctitatem à Christo.

39. Respectu appellationis: vocabitur filius Dei. Verè & realiter propter ardentissimam unionem personalem. Verbum enim caro factum est, Johan. 1, 14. non immutans, quod erat, sed assumens quod non erat, ait Nazianz. orat. 2. in sanct. lavac.

40. Et adjuncta rei possibilitate per speciale exemplum, ubi Elisabethæ gravidae allegatio v. 36. in quo iterum praemittitur: & ecce! Particula attentionis & observationis, quia multa quidem & magna legis antiquæ miracula, uti habet Geometra, mare divisum, & rursus collectum, petra exfudans aquarum rivos, flumina discessa & cohibita, sol retentus, nubes præcurrrens, columna ignis progrediens, fons amarus melle fluens, virga sicca flores germinans &c. steriles parientes, vetula germinantes præter rationem quidem, non tamen sine fructu.

41. Et exponitur subjectum, quoad appell-

pellationem : Elisabetha. Quae significat  
quietem: Et vere fuit, quia super eam etiam  
quievit gratia Domini.

42. Quoad cognationem : cognata  
tua. Quia fuit, uti habet August. lerm. 25.  
ad fratres in Eremo, filia Ismaelæ, qua fuit  
soror Anna matris Domini nostri. Quan-  
quam enim catellarum tribuum viris non li-  
cebat ducere ex aliena tribu uxores; sacerdoti-  
bus tamen sive Levitis, ex quorum tribu Et  
Zacharias erat, licebat ducere uxorem ex qua-  
cunq; vellene.

43. Prædicatum ab accidentibus quo-  
ad commune, respectu modi : & ipsa con-  
cepit filium. Quæ narratio in hunc finem  
directa, ut, qui supra naturam conceptum de-  
derat sterili datum crederetur Et virginis, ait  
Lyra, ui i constat ex historia.

44. Et temporis generalis : in senectute sua. Ut discamus fæcunditatem esse à  
Deo, uti colligitur ex Gen. 30, 22. adeo, ut se-  
nes etiam parere possint, uti constat de Hanna  
1. Sam. 1, 5.

45. Et specialis : & hic mensis sextus  
est ei. Atq; ita Iohannes fuit conceptus men-  
sis septemb. die 23. Elisabetha autem se occul-  
tauit post conceptionem menses 5. Luc. 1, 14.

R. 3                    mensis

210

mensis sequentis sexti, seu Martii die 25. Christus conceptus, & Decembris die 25. natus.

46. Quoad peculiare: quæ vocatur sterilis. Cum pervenit ad proiectam etatem & sic ad gignendum emortua, uti Paulus loquitur de Abraham, & Sara, Rom. 4, 19. Ut discamus sterilitatem quidem suis bonis non carere, & felices eos vocari Luc. 23, 29. interim Deo possibile esse, ut etiam pariant.

47. Et universale effectum, ubi Dei mirabilis operatio v. 37. In quo prædicatum: quia non erit impossibile apud Deum. Ipse namque cum sit naturæ Dominus cuncta potest, cum velit, qui cuncta peragit & disponit vita mortisque lora gubernans, habet Chrysost.

48. Subiectum: Omne verbum. Hoc est omne, quod dixit Dominus, ut qui omnipo-tens Gen. 17, 1. Zach. 18, 6. omnia enim, quæcunque voluit, fecit Psalm. 115, 3. cuius dicere facere Psal. 33, 39. Dei posse velle est, & non posse nolle. Tertul. advers. Prax. cap. 10. Quoties verò Deus dicitur quedam non posse, ait Anshelm. lib. 2. cap. 17. nulla in eo negatur potestas, sed insuperabilis significatur potentia & fortitudo. Et impotentia impossibilium potentia signum est, habet Theodoret. dial.

dial. 3. contra hæres. Illud ergo, non est impossibile apud Deum ullum verbum, intelligendum est de iis, quæ naturæ divine congruntur: Horum enim nihil impossibile Deo.

49. Et Mariæ astipulatio. v. 38. In quo summatim: dixit autem Maria. Ut ostendatur quid tandem concluserit.

50. Explicatim, quoad affatum respectu status: Ecce ancilla Domini. Vide humilitatem, inquit Ambrosius, dum se ancillam Domini nominat. Eo ipso namq; nullam sibi prærogativam tantæ gratiæ vendicat. Inde Bernhardus hom. 4. super mislus: Ecce ancilla domini. Ecce mater Domini elegitur. Ut discamus humilitatem. Sic Rachelle ancillam nominat, Gen. 33, 7. Hanna 1. Sam. 1, 16. Esther. Esth. 2, 9. Amenus ergo humilitatem, cui semper debetur, ut quis crescat, ait Leo, epist. 90.

51. Quoad assensum & approbatum: fiat mihi secundùm verbum tuum. Vide devotionem, dum obsequium & fidens exprimit: estq; verbum tam assentientis quam optantis: quasi diceret, ait Theophil. tabula pictoria sum, pingat pictor quod voluerit faciat Deus quod voluerit. Hinc Patres docent non ante sed post hac verba factam fuisse con-

R 4 cepti-

212

ceptionem Christi. Hec enim facta est quasi conjux Dei, & caro nostra facta est quasi conjux verbi. Ut discamus credere & verbum Domini summarum rationem esse: Cassiodorus lib. 4. de incarnat. Dom. Rationem quaevis hic non reddo. Deus hoc dixit, verbum illius summaratio est, sola mihi ad credulitatem sufficit persona dicentis.

§2. Et eventus: & discessit ab illa angelus. Qui accepto virginis consensu mox cœlesti repetuit, quasi peracta legatione, cuius potissima pars & finis erat incarnatio verbi. Ut discamus expeditis rebus nos recipere ad officium nostrum.



N O T E.

I.

Mense sexto angelus Gabriel) Considera angelum virginem non in publico, sed domi, & in rerum divinarum meditatione suspensam invenisse; ut discas si angelica conversatione frui velis, domi manere, & orationibus vacare.

T U C

213

II.

**T**urbata) Considera Mariam turbari, quia tantā laude se indignam putabat; ut discas humilitatem, quae solet non in virtutes inquirere, sed in defectus.

III.

**A**ngelus dixit: Spiritus S. superveniet) Considera Dei potentiam & Mariæ humilitatem & assensum; ut discas quām primum ad divinum servium vocaris, fidem & humilitatē præstare

CASUS I.

An omnia ad naturæ captum  
sunt revocanda?

**V**Idetur: quia 1. Deus autor naturæ, quam non destruit, sed fecit bonam,  
Gen.1,31.

2. Omnia presumuntur regulariter, quia regulæ tam diu inhærendum, donec probetur. exceptio Bald. in l. si tutor. 6. in fine C. de serv. p. g. dat. manum. Capreol. in l. 2. p. 185. C. de pact. inter emt. & vendit. l. 3. ff. de usufruct. & quæ us. consum.

R. s.

3. R. o.

3. Ratio sana exemplis proponenda  
c. sana, dist. 9.

*Contra: 1. apud Deum nullum verbum impossibile Luc. 1, 58.*

2. Etiam ratio admittit multa fieri supranaturam à Deo, quia omnia consummare magnitudine virtutis suæ potest §.  
5. in fin. ff. de concept. Digest.

3. Exempla confirmant. Sic habetur in l. un. C. de Præfecto prætorio Africæ in præfatione, quod Christiani, licet evulsa radicus linguae à Vandals, tamē locutisint pœnas suas miserabiles. Sic & Honorius eadem sevitia usus adversus Catholicos cum ab iis impetrare non posset, ut Arii doctrinam sequerentur. Legimus mutum ita natum post abscissam linguam statim locutum & refutasse Arrianam hæresin, uti habet Æneas Gazæus in Theoph. charact. Idem habet Procopius, se vidisse Constantinopoli lib. 2. de bell. Vandal. Idem habet Victor Uticensis lib. de persecut Africæ, & Fortatal, in cupidine Jurisperito c. ult. in fin.

fin. Paulus Diacon. in Odoarico Cu-  
jaci lib. 19. observat. c. 6. & Gotofred<sup>9</sup>  
ad l. dictam.

Tandem: Rarò quæ fūnt in iis mi-  
raculum est, Novell. 105. de consult. c.  
quantum.

Ad contraria: 1. Fall. secund. quid.  
In iis Deus non destruit naturam, quæ su-  
per naturam, sed potius perficit, & se Do-  
minum esse ostendit. Si enim Princeps po-  
test præter solitum facere, cur non Deus?

2. Fall. etiam secundum quid: inha-  
rendum regule, sed si exceptio probata, re-  
gula non valet Socin. lib. 1. cons. 67. n.  
4. & si contrarium probatum c. cum Ec-  
clesia Sutiina 3. sub fin. Schurf. cent. 1.  
cons. 90. c. 14. si quidem exceptio firmat  
regulam in casibus non exceptis arg. 1. quæ-  
sumit 12. §. idem respondet 43. ff. de-  
fund. & instr. legat.

Ad 3. Fall. causa si nimirum exem-  
pla non concordant cum rei veritate, aut  
sint contra bonos mores. Tum enim ne-  
quidem præsumenda sunt talia.

An

## CASUS II.

Ancorrupta ab alio sit repudianda?

**N**on videtur: 1. quia nec Joseph repudiavit suam, Matth. 1,19.

2. Nimirum serò accusat maritus mores in uxore, qui illos ducendo tacitè probare videtur. si uxor. 13. §. fin. ff. ad L. Jul. de adult. l. cum mulieres 47. ff. solut matri. prius explorare debuisset.

3. Si propter animi labes uxorem duet am quis repudiare non potest c. 2. X. de diuort. neq; etiam propter corporis vitia eam dimittere debet: prius verum ex l. penult. circ. fin. C. de repudiis, &c. 29 c. 1. etiā in jure Canonico c. 2. X. de diuort. siquidē matrimonii, quod subsequitur, omnia purgat c. super X. de coqui consang. Gloss. c. venient ad nos X. de sponsal. Wensembeius de ritu Nupt. num. 8.

4. Et in c. unica in fine 205. q. 1. expressè habetur: qui dicit corruptam, quam putat esse castam vel virginem, non potest eam dimittere.

s. Si

217

5. Si sponsa sponsam ob amissum pudorem repudiare nequit c. 23. q. 6. negat sponsus sponsam; siquidem quod quisque juris in alium statuit, eodem ipse jure utatur ff. l. toto tit. & conjuges ad paria judicantur c. 32. q. 1 & 5.

6. Habemus exempla in factis ubi tale matrimonium contractum non rescisfuisset, uti de Osea c. 1, 2. constat, de Salomonne qui vitiatas ab aliis retinuit.

7. Si quis eum agrum, quem putavit uberrimum, sterilem inveniat non rescinduremtio c. 29. q. 1.

Videtur: 1. quia Scriptura vult ut feminata talis lapidibus obruatur Deut. 22, 21.

2. Quia Joseph propterea commendatur, quod voluerit deserere suam, uti habet Osiand. Matth. 1, 19.

3. Jus canonicum inquit: qui retinet adulteram fatuus est, c. dixit 32. q. 1. in sponsa autem etiam adulterium committitur, l. si uxor. §. Divi. 3. ff. ad l. Jul. de adult.

4. Nulla est maritalis affectio, quia forma rei defuit Novell. Leonis 92. in fin.

218

fin. Et uti maritus cum polluta ita am-  
gviscum cane c. præterea cum locum.  
X. de Spons.

5. Etiam si quis mulierem emit pro  
virgine contractus nullus ex l. emto. ii.  
§. si quis ff. de actio. emti. dolus enim  
malus vitiat contractum si legitimè pro-  
batur in judicio l. & elegāter ff. depositi.  
matrimonium autem est bona fidei con-  
tractus Jason. §. fuerat. n. 13. Instit. 4. de  
actio.

6. Etiam sceleras sic manerent impu-  
nita, quod contra ll. & justitiam Gentil,  
lib. 6. de nuptiis. c. 13. Arumæus ex-  
ercit. 2. q. 15.

7. Etiam illa repudianda sponsa, quæ vi-  
de virginata arg. c. quemad. X. de jure,  
uti & propter vicia corporis etiam à juratis  
sponsalibus recedere licet. At longè gra-  
vius quod ex violata pudicitia c. raptor.  
27. q. 2. & ibi gloss. Cucus lib. 5. instit.  
major. tit. 10. n. 62. Bocer. class. 1. dis. 19.  
th. 78 ad finem. Kizzel. synt. matrim.  
c. 8. theor. 13. lit. B. Speckhan cent. 2.  
clas. 2. q. 7. Schneid. in instit. part. 4. de  
divor-

divortio, q. an ratione erroris n. 59. c.

4. seqq. Reus. cons. 5.

*Ad contraria: 1. Fall. causæ. Illa etiam virgo fuit, & mansit. Unde admonitus ab angelo nō debuit deserere. Hoc loco non de virgine queritur, sed de scorno. Et tamen voluit eam deserere, nisi etiam admonitus fuisset, non retinuisset. Retinuit verò, cum nō haberet causas sufficiencias certas.*

*Ad 2. Fall. secund. quid. Si eam nimis lenocinio adulteravit. l. 47. ff. solut. matrim. aut si conniveat ad ejus stuprum, quam postea duxit l. si uxor. 13. §. in fin. ff. ad L. Julianum de adult. secus verò, si non probavit. Etenim alteri fraus sua prodeesse non debet l. 1. ff. de dolo malo.*

*Ad 3. Fall. causæ. Aliaratio labium animi, quæ emendari possunt, sed vitium corpori illatum non itidem. l. un. in fine C. de rapt. virginum. & plura sunt conjuncta, quia corpus corrupti nequit, nisi prius animus c. non potest. 32. q. 5.*

*Ad 4. jus Canonicum hac in parte liberū relinquit, nec cogit. Penes Papam quidē est*

*man-*

220

mandandi autoritas, sed alios manet ob-  
sequendi necessitas c. Ecclesia 7. Mariæ  
X. de constit. &c. quamvis 23. dist. c.  
cuncta. q. q. 3. Error enim est nō simplicis  
qualitatis, sed substantialis Hemming.  
in tract. de matrim.

Ad 5. petitio principii. Nam omni-  
nō potest accusare auth. ubi Salicetus &  
Dd. C. de repudio. Et à viro penitus ab-  
stinere. Novell. 117. c. 9. Carol. const. v.  
art. 320. quia æqualia delicta æqualibus  
pœnis punienda l. viro atq; uxore, fl. so-  
lut. matrim. quomodo tol.

Ad 6. Fall. causa. Illi retinerunt quod  
ipsis integrum, sed tamen potuissent, si vo-  
luissent, repudiare. Sunt præterea cōsilii ex  
quo nulla obligatio l. consilii ff. de R. I.  
consilium non est necessitatis c. quod præ-  
cipitur 14. q. i. l. 2. in fin. ff. mandati.  
Et facti talia exempla, non juris.

Ad 7. Fall. cons. Nullum simile idem;  
Et tantum dicit ex parte c. in causis X. de  
re judi. ex quo nihil inferri potest l. Papi-  
nianus ff. de minori 25. annis l. penuli-  
ff. de pactis.

**N**Ex erat ut Christus nondum delapsus  
olympo:

Ast ubi factus homo nectaris instar erat.  
Angelus in sexto dum missus mense penitrac-  
Mænia Nasaridos, quam Galilæa tenet-  
Illic desponsata viro, cui nomen Ioseph,  
Ex Davide fuit virgo Maria sata.  
Angelus ingrediens ad eam sic insit: aveto!  
Est Dominus tecum, tu benedicta cluis.  
Illa videns turbata nimis formidine secum  
Sic arbitratur: qualia verba refert!  
Angelus at contra: nolito Maria timere!  
Es quia chara Deo, plena favore Dei.  
Concipies utero pariesq; puerpera natum,  
Cui nomen Iesu nobile jussa dabis.  
Hic erit aeterni magnusq; vocabitur idem,  
Filius, & sedem debet habere patris.  
Inq; domo Iacobiadum regnabit in ævum,  
Ejus & imperii nullibi finis erit.  
Inde Maria refert: istud dic quomodo fieri  
Angele? nullius sum mihi gnara viri.  
Angelus è contra veniet tibi Spiritus, umbra  
Sicut, natus erit filius ipse Dei.  
Et Cognata tibi sterilis grandævaq; prægnans  
Nunc mensis sexius quo gravis illa fuit.  
Quod loquitur divina potest implere potestas:  
Omne potest verbum, vult quod, & omne  
facit.

Erg

*En ancilla mei Domini sum, dixit at illa :  
Cen dixti verbum, fiat id omne mihi.  
Talia proponit rursus modò NECKIUS. Ista  
Pergat ! Non nex, sed nectaris instar erit  
testatur*

**GUEINZIUS.**

**Π** Αντοκεράτωρ ὁς ἔχει θεὸς αἰτεροέντας ὄλυμπον

*πον*

*Περάγμασιν ἐν τι λόγοις θαύματα πόλα  
τελεῖ.*

*Παρθενικῆς ἐκ γαστρὸς ἀνδρὸς τῷ στέρματῳ  
ἀνδρός*

*(Θαυμασὸν τὸ λέγειν) ἀγλαονήσιν ἄγε.*

*Καὶ μέχα θαῦμα ἔχει μαρτίνην παιδὸς ἀκό-  
οντ'*

*Ως κατὰ τῶν τε φύσιν τῷτο γένοιτο λέγε.*

*Τέλος δὲ απαριεῖσθαι μεν Θεος Γαβριὴλ' οὐδὲ εἴφηξε  
ὄλυμπων*

*Πνεῦμα ἀγίου, τεκράτῳ σ' αἱμφικαλύ-  
ψιμῳ.*

*Ταῦτα μακρῶιστι λόγοις διποδείκνυσι. ΝΕΚ-  
ΚΟΙΣ ἄμμιν*

*Τημῆμασιν, ὅπλι θεῶν ρήμα πάντα τελεῖν.*

*ΝΕΚΚΙΟΣ ἐνίκτοις πόρρω ! καὶ οἰνοποτής εἰς  
Νεκτάρειον σὺ ἀφ' ἔτενομα ΝΕΚΚΙ ἀγεις.  
Christianus Halbauerius*

02 A 572  
(1/2)

**ULB Halle**  
003 808 483

3




VÖ 17

EV

CH

H

28  
C 15  
C 3 C



I R I V.

VITIARUM  
GELICARUM  
FIVALIUM  
*isquisitio IX*  
PRÆSIDÈ  
ANO GUEINZIO  
inassii Hallensis  
Rectorē  
Respondente  
E A NECKIO  
merfurtenſi Sax.  
Annunciationis Mariæ:  
D. R. c. b. P. C. III.  

---

LIS SAXONUM.  
æredum Melchioris  
Oelschlegely.